

ogicen, principia, argumenta, sapientiam, Aristotelis, Thomae, Scoti, Alberti, & Philosophiam omnem subijcit: quæ res & forma legendi & ex sacra scriptura ceu fonte & regula omnis certitudinis, doctrina & fidei disputandi, planè noua & inusitata videbatur, assuefactis tum temporis & doctoribus & discipulis non ad sacram scripturam, sed ad intricatos labyrinthos disputationum de essentialitate, personalitate, entitate, quidditate, realitate, uniuersalitate, localitate, & infinitis alijs portentis uerborum & rerum. Et hæc Lutheri noua, ut videbatur, & inaudita docendi ratio, Mollerstadium Rectorem, cui titulus tributus erat, ut Lux mundi diceretur, permouit, ut predicaret studium sacrarum literarum, & præ admiratione ominans & animo presagiens id, quod Deo uolente & disponente postea factum est, diceret ad alios de Luthero: Monachus ille omnes nostros doctores confundet, & reformabit Romanam Ecclesiam.

Triennio post, Lutherus de sententia & petitione Congregationis monachorum suorum mittitur Romam causa cuiusdam litis componenda, ubi & Pontificem ipsum Romanum Leonem offendit, & aule Romanæ mores obseruat. Inprimis uero, quod sepe commemorare solitus ipse fuit, negligentiam sacrificarum magna cum indignatione & dolore animi cognoscit. Celebrans enim Missam pro liberatione animarum suorum quorundam
maiorum